



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Thomais M. 14. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

carcere templum fecit. Subinde ipsâ sacri Paschatis nocte captivum à parente subornatus Pseudoepiscopus adit, & ad sacrificium scilicet mensam invitat: sed HERMENEGILDVS fidenter negat se in potestate futurum, etiam in vinculis Catholice libertatis memor. Eapropter in successus Leovigildus, cum religione patrem etiam exiit, ejusque imperio cadit filius. securi caput diminutus, pulcherrima Paschæ victima, sed non à parente danda. Cæterùm Martyrem continuò è cælo voces iudârunt, & delapsæ indidem lampades exornarunt. Mox etiam piis manibus parens impius morte suâ parentavit, adductis post ad Catholicam Fidem omnibus Wisigothis. Ita pietas quam decollasse in HERMENEGILDO impia hæresis putavit, toto regno caput extulit. Ex S. Greg. M. l. 3. Dial.

Melius est contristare parentes, quàm contristare Dominum IESVM. Hic enim nos creavit & salvavit; illi sepe suos amando perdidertunt. Ne te moveant tuorum lacryma, ne tu tibi ipsi æternas lacrymas parias. S. Clim. Grad. 3.

S. THOMAS M. 14. Aprilis.

Nata est THOMAS Alexandriæ, à parentibus benè ac pudicè educata, & demum nuptiis tradita, ut antè Virginibus, sic Matronis postea præluxit. Sed rarò castitas inter multos habitat tuta. Ausus est socer, cujus in domo cum marito degebat, omnis juris atque adedò pietatis in filium oblitus, conjugalem in nuru fidem tentare. Cohorruit illa ad tam infanda, & monitis preces, precibus lacrymas addidit. At ille, cui pudorem non potest, vitam extorquet, mediamque, non auditâ

auditiā crudelitate, fecat. Enimverò non tulit vindex Numen, sed parricidium extemplo cæcitati multavit. Interea adsunt, qui maritum castissimæ volunt conventum; vident sanguini suo innatare pudicitiam; videns cæco vestigio muris oberrantem Sufanneum senem; quis tragœdiam hanc dederit? rogant. Non ausus est diffiteri auctorem se esse amens Oedipus; sed cum atrocitatem criminis, quam videns non viderat, nunc cæcus vel sole clariorem aspiceret, non debuit ultro mortem orare, & capitis in se sententiam ipse pronuntiare. Et verò hunc facile iudices audiverunt, cæcumque duci scilicet iusserunt: THOMASIDIS verò tumulus ceu Martyris cultus à Cænobitis Scetanis, Asylon deinceps fuit eorum, qui hostem Cupidinem fugerent. Nimirum jam antè cæcutiens puer oculis suis timet. *Ex Menais.*

Quoties te sentis turpibus cogitationibus pulsari, toties pone ante mentis oculos, quomodo Christus crucifixus est pro te. Redemptor tuus moritur pro te, & tu nescis cujusmodi sordidâ cogitatione sordidaris in mente. Hug. l. 3. de Ani.

S. LYDWINA V. 14. Aprilis.

LYDWINA formam obesse castitati videns, dignum virgine rata est votum, deformitatem à cælo petere. Audiit hoc, & omnia morborum examina misit: iis ita omnis gratia defluxit, ut nemini jam placeret cadaver domum ducere. Sed sic illa demum formosa CHRISTO visa est. Hic ex amantibus solus jam ægræ cum MATRE assidere, solus amoris sui & patientiæ symbola per Angelos lectulum ambientes ostentare: quorum certè unâ recordatione LYDWINA cruciatus supra quam